



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Crucifigi cum Christo mysticè quânam debeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

**I**VXta opinionem communem doctorum, qui Iesum in terra super ligno crucis iacentem, tradunt extensum crucifixumque (sunt enim & alij, qui Iesum per scalas cum crucifixoribus, crucem antea erectam ascendisse, atque crucifixum esse putant, vbi in terra quicquid volebat, in Iesu crucifixione expleuerant, eleuarunt tortores impij cum clamore atque strepitu magno crucem, Dominumque simul Iesum in cruce affixum, in altum. Addunt autem nonnulli, quod verisimile est, quando Dominus Iesus erat crucifixus, eundem de crucifixionis loco ad foramen cui erat crux imponenda atque firmanda, super terram & super lapides cum ligno crucis fune appposito protractum. Ibi erexerunt crucem, ipsumque in cruce fixum eleuarunt in aera, vt ab omnibus conspici, ab omnibus videri, ab omnibus posset subsannari. Itaque fossa parata, vbi crux erat firmanda, immittunt crucem eandem in foramen motu atque casu violento, vnde singula Christi tremuerunt membra, renouatique sunt dolores eidem ac poenae, ampliata vulnera, fluxit quoque sanguis copiosius de eius corpore emanans, & crucem terramque rigans. Crucifixerunt autem cum eodem duos latrones, medium vero inter illos ponunt Iesum, opprobrium Christo atque infamiam augentes, quo crederetur ab ignorantibus horum fuisse duorum latronum caput & princeps. Attende hic matris virginiae tristitiam atque mœrorem, quando quidem oculos leuans, suum videbat dulcissimum vni genitum, poenis atque doloribus repletum, cribus clavis irremediabili cruciatu ligno adhærentem. Videbat nulli eius corporis membro praestari requiem. Videbat caput eius spinis obstitum, quocumque illud Iesus verteret, quocumque reclinaret, nihil nisi exaggerationem inuenire doloris. Heu bone Iesu, quam dulciter cum hominibus conuersatus es, quam magna abundantissimaque eis es largitus, quam dura & aspera pro eis es passus, dura verba, duriora verbera, durissima crucis tormenta, & hæc in omni parte corporis tui. Attende hic quoque rationes, quare inter cælum terramque Dominus voluerit in aere suspendi. Prima ratio fuit, vt figura quoque suæ suspensionis, monstraret se Dominum mediatorem inter cælum & terram, inter homines & Deum, quos sua esset reconciliaturus morte. Alia fuit ratio, vt ipsa sui exaltatione à terra, traheret omnes ad seipsum. Voluit enim docere, eos qui sua essent morte patri reconciliandi, à terra (hoc est, à terrena conuersatione) esse abstrahendos, atque ad superna appetenda exaltandos, quomodo id ipsum ipse quoque testatus est: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Tertia est ratio, quo euidenter pro quibus pateretur, & quis sequeretur passionem suam fructus, ostenderet, nempe quia pro angelica est ruina restauranda passus, pro animabus item ex limbo educendis, pro amicis quoque in mundo ad se colligendis, & pro inimicis sibi reconciliandis: eam ob rem pati morique voluit, quasi in medio inter cælum terramque exaltatus.

*Crucifigi cum Christo mystice quinam debeamus.*

**D**isce hinc tibi in cruce viuendum, idque hoc modo, vt suspensus Christo adhæreas inter cælum & terram. Quamdiu enim desideria tua adhuc sunt in terra, id est, terrena, nõdum es cum Domino exaltatus, neque ad Dominum tractus. Si igitur sentis quod non traheris, ora Dominum vt traharis.

N 3

haris.

Crucis Christi erectio quibus doctoribus facta

Latronum in medio cur crucifixus sit Iesus.

Matris Iesu dolor sub cruce quantus.

Bernardus.

Suspensi voluit Christus inter cælum & terram propter tres rationes.

Ioan. 12.

Passionis Christi fructus quis.

Viuendum quomodo sit nobis in cruce.



Patientia vti  
nobis Chri-  
sti exemplo  
fit seruanda.

Desiderium  
nostrum vti  
studio imi-  
tationis Chri-  
sti exercen-  
dum sit.

Vilitas vni-  
uersi usq; in  
suis oculis  
quanta esse  
debeat.

haris. Ora vt cogitatio tua, affectio, locutio, amor, intentio, ac conuersatio tua leuetur, sitq; in cruce, imò in Christo, atq; in eiusdem vulneribus tu habites, vt veluti mudo mortuus, nihil extra Deum diligas, nihil scias, nihil (nisi propter necessitatē, obedientiam, charitatem vè fraternam ad aliud, quod tamē licitū sit, cogaris) in cor tuum recipias. Secundò docemur Christi exemplo patientiam habere, si contra nos aut cōtra innocentiam, contraq; famam mali quippiam machinantur homines. Vide quam longè fuit Christus viuendo alienus ab ijs operibus facinorosis, quorum tamē accusationē & infamiam sustinuit. Nos nunquam esse possumus omnino innocentes. Nam si etiam de aliquo opere malo, vnde innocentes infamamur, fuerimus immunes, non sumus tamen omni ex parte innocentes. Sunt enim multa delicta alia, de quibus nemo nos accusat, horum maximè sumus rei.

Tertiò, exercendum est desiderium nostrum studio imitationis Christi, quo optemus nesciri, viles reputari, abijci, contemni, quandoquidē Dominus noster cum iniquis reputatus est. Quis dignior Christo? quis latrone vilior? & tamen Christus Dominus noster, Deus & homo, non modo latro: sed iniuriosissimè latronum etiam caput & princeps habitus est. Patiens igitur esto, quando tu despiceris, quando ve cum vilibus sociaris hominibus. Absit tamē vt viliorē te quemuis arbitreris. Magis aliis arbitrare fieri iniuriā, si tibi socientur, quam vt doleas si tu contemptibilibus sociaris. Tantum tua debet esse vilitas in oculis tuis, vt præter te neminem interim arbitreris vilem.

*IESU TITULUS SUPERSCRIBITVR.*  
*Articulus XLIV.*

Ioan. 19.

Luc. 23.  
Matth. 27.  
Ioan. 19.  
Lucæ 23.  
Ioan. 19.

**S**cripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem, & imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Erat autem scriptum: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum legerunt multi Iudæorum, quia propè civitatem erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum: Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

*HOMILIA XLIV.*

Titul' qua-  
re cruce Iesu  
impositus.

**C**onsuetudo Romanis erat, damnatorum causas (hoc est, quare essent damnati) scribere, scripturamq; ponere super capita eorundem. Hac tamen non omnibus scriptio fiebat, sed sceleratis insignioribus. Nam de latronibus cum Christo crucifixis, nihil eiusmodi legitur, quod aliquid eorundem crucebus inscriptum sit, quasi ijs qui pro leuiori crimine quam Christus, forent damnati. Christo tamen superposita est causa scripta, Iudæis nimirum Pilato supplicantes, vt super scriberet tanquam insigniter flagitioso, crucifixionis eius causam: vt vel per hoc Christum infamarent, grandiusq; fieret illius opprobrium, cum illi soli, vt pote magis pestifero, non autem cæteris secum crucifixis, causam eius iudex super scribi fecisset, Iudæi namq; inuidissi-